



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 20. Columbi navigatio ad detegendam Americam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. D. 1485.

jam itineri accinctum insequatur, eundem Loxam reducturus. Vix advenerat Columbus, cum in eadem urbe a Joanne de Colonia Status Secretario Regium diploma acciperet, vi cujus Oceani Archi-Thalassius, & continentis omniumque, quas detecturus esset, Insularum Pro-Rex declaratur, adjecta plena Gubernatores ac Judices pro suo arbitrio constituendi, aut amovendi auctoritate.

§. XX.

Columbi navigatio ad detegendam Americam.

Hæc quidem acta fuere præsentis anno, longior tamen mora operis executioni data videtur; compertum enim habemus, Columbum non nisi mense Augusto anni millesimi quadringentesimi nonagesimi secundi navigationem suam auspiciatum fuisse, eodemque anno mense Octobri obliquatis Boream versus velis primam omnium detexisse Insulam, nomine Floridam: hanc vero jam secundam Columbi navigationem Ferdinandi nomine susceptam fuisse arbitramur, Regemque optato primi itineris successu opido lætum decrevisse, ut primæ, quas Columbus deinceps inveniret, Insulæ suo nomine detectæ censerentur. Quapropter haud temere conjicimus, Colum-

Ferdin. C.
Columb. hist.
Admir.
Christ. Co-
lumb.

Pizarro de
los Illustr.
Varon. del
Nuevo mun-
do.

Secul. XV.
A.C. 1485.

*Fogliet. in
elog.*

bum, impetrato primo diplomate, hoc anno tres commeatu nautico classariis-
que instructas triremes in altum promo-
viffe: Igitur primo ad Insulas Canarias
iter instituit, ubi aliquamdiu moram tra-
xit, demum vero superatis pluribus peri-
culis, suorumque Commilitonum que-
stibus, qui cæpta perfici posse desperan-
tes seditionem in eum minabantur, ni-
hilominus his omnibus superior Colum-
bus Lucayas Insulas invenit, inventas-
que Ferdinandi Arragoniæ & Castellæ
Regis imperio subjecit, quarum præci-
pua primus Insulam sancti Salvatoris
nuncupavit, ejusque incolas sibi pluri-
mum devicit, eoquod eis monilia ex vi-
tro confecta dono daret, quam pretio-
sam vilitatem ipsi longe pluris faciebant,
quam maximas adamantum opes. Po-
stea repetito Oceani cursu alias aperuit
Insulas, quas vario nomine Insulam Con-
ceptionis B. V. Ferdinandinam, Soame-
tam, atque Isabellam appellavit, atque
iterum promotis velis ad Insulam Cubam
anchors jecit, ubi naves suas refici cu-
ravit. Inde vero revulsis anchoris ac
decem Indorum, quos prætorix navi im-
posuit, comitatu auctus, secundo vento
Insulam Bocchiam intravit, eamque Hi-
spaniolam pro jure suo nominavit. Hu-
jus Insulæ Regulus Columbum convenit,
ac ipsius navem ingressus, eundem pran-
dio

dio excepit, cumque ex ejus navibus quaedam arenarum scopulo allideretur, Princeps obsequiosa promptitudine opem ferri jussit, quo subsidio adjutus Columbus, tam classiarios, quam reliquum navis apparatus naufragio subduxit, ac ex contracti lembi ruinis, tabulisque turrim aedificari praecepit, quam consentiente hoc Principe Hispanis militibus praesidiariis firmavit, rebusque ita dispositis in Hispaniam cursum relegit. Cuncta iste novae navigationis molimina non nisi subsequenti annorum aetate evenerunt.

Sæcul. XV.
 A C. 1485.

§. XXI.

Angliæ Rex Richemundii ausibus turbatus.

Cum interea Arragoniæ Rex imperium suum Orbis recenter inventi accessione extenderet, Richemundii Comes, quem hucusque in Britannia custoditum vidimus, Angliæ regnum Richardo hujus sceptri invasori eripere molitur. Richardus per exploratores, quos ex parte plurimos habebat, conjurationem in regno adversus se conflatam tam accurate edoctus erat, ut etiam conspirantium nomina, ac numerum, necnon Provincias, ex quibus subsidia, opem, atque vires haurirent, probe sibi com-

*Polyd. Virg.
 hist. Angl.
 lib. 23.*